

3<sup>a</sup> *Unius e contrahentibus propria*: nemo enim in alium transferre potest jus quod non habet. Videndum tamen num forsan lex civilis suppleat id quod e jure naturali desit, ut in venditione rerum alienarum in quibusdam adjunctis. Cfr. n. 492.

4<sup>a</sup> *Aliqua ratione determinata*, vel in specie vel in quantitate: nam omnino indeterminata materia, ut contractus emptionis circa animal in genere vel frumentum, conventionem illusoriam efficeret.

N. B. In C. C. (a. 1128) requiritur etiam ut res de qua contrahitur non sit extra commercium posita. Hanc tamen condicionem Jurisperiti, ex. gr. Laurent (Cours él. de Droit civ. t. II. n. 533), dicunt intellegendam esse tantum eo sensu quod pacta privata nequeunt adversari fini propter quem lex quasdam res, ex. gr. munera publica, plateas, libertatem personalem, etc. extra commercium ponit, non autem eo sensu quod quilibet contractus circa tales res invalidi sint.

5<sup>a</sup> *Honesta*. Nam fieri nequit ut quis per conventionem se obliget ad aliquid dandum vel faciendum quod lege in conscientia obligante omittere teneatur: secus simul daretur obligatio ad idem et faciendum et omittendum, quod repugnat. Ideo, antequam contractus turpis, seu de re inhonesta, exsecutioni mandatus sit, dubium nullum est quin sit restituendum id quod jam pro turpitudine patranda acceptum fuerit, puta si quis e contractu accepisset pecuniam ut alium occideret, infamaret, etc. Cave tamen ne confundas istum casum cum eo quo, sine ulla stipulatione expressa vel tacita, aliquid daretur ea intentione ut altera pars ad peccandum alliceretur, puta si juvenis puellae munera daret ut eam ad fornicandum induceret, si quis custodi pecuniam solveret eo animo ut officio suo deesset, etc. Haec enim, tamquam gratuitae donationes, etiam omissa actione prava quae intendebatur, retineri possunt. (S. Alph. I. 4. n. 712) Attamen, in matra luxuriae, cavendum a scandalo, cum facile acceptatione vel retentione turpis amor donantis foveri possit. (Lugo, disp. 18. n. 51)

**584. QUAER.** Num, turpi contractu ad effectum perduto, pretium de quo conventum est dandum sit vel (si jam datum fuerit) retineri queat in conscientia.

**RESP.** Speculative omnino affirmandum est ad utrumque. Nam is qui pretium promisit, determinavit quanti vellet remunerare actionem alterius, quae in se erat aliquo pretio aestimabilis, puta ob laborem, ignoriam vel periculum annexum. Cum ergo altera pars hanc actionem posuerit, qui pretium promisit jam huic suae determinationi stare debet, nisi haec foret omnino prodiga et ad justos limites reducenda, vel legibus positivis hujusmodi contractus prorsus nullus declararetur. Hanc sententiam fere unanimes tenent AA. veteres, ut fuse ostendit Ball. P.

n. 61 seqq. Contrarium tamen sententiam pauci quidam amplectuntur, ut Collet (de Just. et J. p. 4. c. 1. a. 4) et Carrière (de Contr. n. 331). Horum rationes valde infirmiae sunt. Frustra enim arguunt non posse decursu temporis fieri validum contractum qui ab initio fuerit nullus. Nam id minime a communis sententiae fautoribus asseritur. Reapse contractui nulli, quo quis promisit rem turpem, inest implicite alter contractus innominatus *do ut facias*, qui non constat promissione, sed operis positione, neque, antequam opus perfectum fuerit, ullam vim habet. Logice etiam ex illa paucorum sententia defluenter consecaria quae neque ipsi ejusdem fautores admittunt, ex. gr. juvenem qui puellam sub promissione matrimonii defloravit, non teneri ad eam ducendam, nec solvendum esse salarium de quo conventum fuerit pro opere servili quod illicite die Dominica assumeretur. (Lehmk. I. n. 1053)

Practice tamen qui nondum solvit pretium non videtur ad id obligandus. Nam eum a solutione liberant ii omnes qui dubia principio possessionis dirimunt et sententiam negantem ut probabilem habent, S. Alphonsum (I. 4. n. 712) secuti. Ita Aerthys (I. n. 386), Marc (I. n. 1036), etc. Insuper is qui ad reddendum pretium acceplum per juridicam sententiam cogeretur, id in conscientia praestare teneretur, cum lex quam haec sententia applicaret justa esset.

N. B. Praeter tria elementa contractus supra enumerata, C. C. noster (a. 1108) recenset causam licitam in obligatione. Hoc nomine *causae* legislator intendit motivum juridicum quo partes ad contrahendum inductae sunt. Hoc motivum in contractibus onerosis cum objecto identificatur; in contractibus gratuitis, cum consensu seu donandi voluntate. (Laurent, I. c. n. 538) Ideo quae de causa dici possent, satis intelliguntur ex iis quae de objecto et consensu hic traduntur.

## CAPUT IV.

## DE CONSENSU.

## § 1. DE QUALITATIBUS IN CONSENSU REQUISITIS.

**585.** Ut consensus validum contractum efficiat, oportet ut sit:

**I. Internus.** Ratio est, quia per contractum aliquod jus, quod nostrum est, ad alium per nosmetipsos transfertur: hoc autem sine volun-

tate nostra fieri nequit. Sicut enim dominium non acquiritur, nisi sit interna acquirendi voluntas, ita nec amittitur per solum actum exterum, repugnante voluntate.

Manifeste valet contractus ubi quis vult se alligare, quamvis simul proponat *obligationibus infidelem fore*: nam inter utramque voluntatem nulla viget contradicatio. Quodsi idem contrahens habeat *duas intentiones oppositas*, contractus nullus est si eaedem versantur circa idem objectum sub eodem respectu consideratum, ut puta si quis vellet promittere, sed cum animo expresso se non obligandi: nam intenditur effectus impossibilis. Si vero sub diversis respectibus idem objectum consideretur, contractus *validus* vel nullus erit, prout praevalebit intentio ejusdem ineundi vel non ineundi; praevalebit autem illa intentio quae magis efficax et absoluta sit, seu quae habeat modum magis universalis volendi. Ita, si velis promittere, et ob errorem putas e promise non oriri obligationem, obligaberis si voluntas promittendi est magis absoluta quam voluntas te non obligandi. (Lugo, disp. 22. n. 39) Praecipuum applicationem habent haec principia in tr. de Matrimonio. (Vol. II. n. 459)

Si quis *externe fingit* animum quem interne non habet, nulla premitur obligatione e contractu: quippe qui non exsistit. Attamen tenetur ad reparanda damna quae fictione sua alteri forte intulit, et etiam ad praestandum consensum verum contractumque implendum, si damnum illud alia ratione reparari nequit. (Lugo, l. c. n. 48).

**II. Externus.** Contractus enim postulat essentialiter ut alter alterius voluntatem perceperit et ita in unum concurrerint paciscentium voluntates: quod sine manifestatione externa fieri non posse patet. Hoc tamen non impedit quominus interdum silentium in favorabilibus pro consensu habeatur: ipse enim defectus denegationis, quae facilis esset, externe prodit internum assensum. (n. 10)

**586. III. Plene deliberatus**, saltem ubi contrahitur de materia quae natura sua sit gravis. Ut enim hujusmodi contractus existant ea ratione qua ab omnibus accipiuntur et sine gravi injuria violari nequeunt, necesse est ut contrahentes se sub gravi obligent; actus autem imperfecte deliberatus nequit esse fundamentum perfectae obligationis. (Lugo, l. c. n. 40 seqq.)

**IV. Mutuus**: secus enim fieri nequit ut in idem placitum conveniant. Non requiritur tamen ut eodem temporis momento actus voluntatis ab utroque elicatur. Sufficit moralis unio, quae in eo sita est quod, postquam consensus ab uno datus, nec retractatus est, alter consentit: consensus enim prioris tunc adhuc virtualiter perseverat.

**V. Intimatus alteri parti**, saltem ab ea parte quae consensum suum offert: quandiu enim haec intimatio facta non fuit ab isto vel a tertio cui iste hoc munus demandarit, non habetur illa moralis voluntatum unio quae prorsus requiritur. Sic non exsurget contractus venditionis, si Petrus narraret Paulo se paratum fore ad domum suam 5000 fr. Joanni vendendam, Joannes autem a Paulo monitus significaret Petro se hanc petitionem libenter accipere. (Lugo, disp. 23. n. 70 seqq.)

**587. QUAER.** Quo praecise momento contractus inter absentes celebrati perficiantur ita ut uni vel utriusque parti jam resilire non licet.

**RESP.** 1º In contractibus e quibus soli offerenti onus oritur, ut in donatione, non requiritur ut acceptatio alterius partis priori innotuerit, sed, acceptatione posita, statim contractus irrevocabiliter perficitur. Nam effectus hujusmodi contractus is tantum est quod altera pars acquirit jus in rem sibi oblatam; jamvero, supposita prioris domini oblatione, jam nihil impedit quominus alter sola sua voluntate rem suam faciat, fere ac si nullius esset. (Lugo, disp. 22. n. 29) Hinc ad solum jus positivum referendum est quod in C. C. (a. 932) statuitur: donationem inter vivos nullos effectus habituram esse antequam expresse fuerit acceptata.

2º De contractibus onerosis, res, spectato tantum jure naturali, controvertitur. Quidam (ut Lehmk. I. n. 1061) opinantur contractum onerosum perfici statim ac petitio unius, qui ex. gr. vendere cupit, ab altero fuerit acceptata, et haec acceptatio aliquo signo externo manifestata fuerit, puta epistolam conscribendo, quamvis haec nondum ad alteram partem pervenerit. At communior sententia tenet (Lugo, l. c.; Marres, l. 3. n. 52) talem contractum non perfici antequam utriusque acceptatio utriusque nota sit, ita ut, si res litteris peragatur, contractus perficiatur tantum quando litterae responsum affirmativum continent a parte acceptante ad offerentem delatae fuerint. Ratio hōrum est, quod contrahentium voluntates humano modo et sensibiliter conjungi debent; quare, sicut unus debet alteri manifestare voluntatem se obligandi, ex. gr. vendendi domum, ita et alter debet priori manifestare voluntatem suam obligationem accipiendi, ex. gr. acquirendi domum pro pretio. Alioquin, sicut voluntas prioris se obligandi, nondum manifestata, nondum ligat priorem, ita et voluntas alterius accipiendi obligationem, nondum manifestata priori, neutrum obligat.

Ideo practice vendor absque injustitia pollicitationem per litteras factam nuntio telegraphicō revocare potest, quandiu nondum accepit, immo et legit litteras quibus alter acceptationem suam significat; emptor similiter petitionem venditori factam nuntio telegraphicō revocare

potest, quamdiu litteras quibus acceptatio contineatur nondum legit. Haec tamen dicuntur, spectato jure naturali: nam, si speciali stipulatione se obligarunt ad responsum per tempus determinatum exspectandum, injuste ante hunc terminum resilirent. (Marres, l. c. n. 53)

## § 2. DE CONSENSU PER ERROREM VEL DOLUM VITIATO.

**588. NOTIONES.** Error relate ad contractum vario modo se habere potest:

1º Error potest esse *substantialis*, seu circa substantiam contractus versari, et *accidentalis*, seu afficere tantum accidentales contractus determinationes. At non ita facile definitur in quonam contractus substantia reponenda sit. Manifeste error substantialis est ubi erratur circa ipsam contractus materiam, ut si vitrum ematur pro gemma, vel circa speciem contractus, ut si unus vendere, alter locare intendat. Insuper error circa objecti qualitatem potest fieri substantialis, nempe quando haec qualitas omnino primarie intenditur ita ut hujus absentia rem prorsus inutilem reddat ad finem intentum ab eo qui eam acquirere vult, vel tollat omne rationabile contrahendi motivum.

Error *circa personam* substantialis est in contractibus gratuitis, in quibus persona cui beneficium praestatur primarie considerari solet. Attendum tamen ad voluntatem dantis, qui in rebus minoris momenti, ut in parvis eleemosynis, quandoque absolute dominium transferre intendit, vel saltem restitutionem non urget. In contractibus vero onerosis, excepto matrimonio, error est tantum accidentalis, cum in iis intendatur praecipue onus quod ab altera parte praestandum assumitur.

2º Error potest *dare causam contractui* vel esse mere *accidentalis* aut *concomitans*. Dat autem causam contractui quando, sublato hoc judicio falso, contractus initus non fuisset.

Dolus autem in eo est quod fraus vel artificium adhibetur ut alteruter contrahentium ad consensum dandum adducatur. In praesenti arguento dolus non est speciatim considerandus nisi quando voluntarie adhibetur sive ab una parte, sive a tertio: ubi enim bona fide decepta est altera pars, nihil aliud valori contractus obstat nisi error, ac proinde sufficiunt quae de influxu erroris hic statuuntur.

**589. ASSERTA. I.** Quilibet error substantialis contractum nullum facit, etiamsi forte, errore detecto, pars altera nihilominus contraxisset: deficit enim consensus in idem placitum, saltem moraliter sumptum. (S. Alph. l. 4. n. 714)

Pariter nullus est contractus, si error versatur circa qualitatem cui

contrahens formaliter vel virtualiter consensum suum alligavit, ut patet e natura contractuum conditionatorum. (n. 595) Censendus autem est contrahens virtualiter consensum alligare ei qualitati vel circumstantiae quae est principale motivum et finis primarius contrahendi: nam ab ea omnem vim et mensuram accipit actus quo se ad contrahendum determinat. (Laymann, l. 2. t. 4. c. 5. n. 5)

**II. Error accidentalis qui non dat causam contractui**, numquam contractus invalidos vel rescindibiles facit. Consonat C. C. (a. 1110) Attamen quandoque compensandum erit damnum quod ex hoc errore alteri parti illatum est, ex. gr. si pannus vilis pro pretioso venditus est; immo, si una pars mala fide alteram decepit, hanc prorsus indemnum facere debet. (Ball. P. n. 78)

**III. Error accidentalis qui dat causam contractui**, probabilius non reddit contractus *onerosos* jure naturae nullos, dummodo tamen non redundet in substantiam vel virtualem condicionem, ut supra dictum est.

Ratio est, quod manet consensus in substantiam, et voluntas, ita exigente bono communi, in contractus onerosos firmiter ferri debet, ne passim, cum magno commercii humani detimento, rescindantur, praesertim ubi nullus dolus intervenerit. (Ball. P. n. 83) Attamen, in foro conscientiae, si res adhuc integra est, deceptus non videtur teneri ad contractum implendum, dummodo alteram partem indemnum praestet, neque judicis sententia ad implendum obligetur: nam tacita mens contrahentium est se non obligare ad contractum exsequendum si decepti fuerint. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 17. n. 33)

Idem vero error probabilis irritos facit, saltem regulariter, contractus *gratuitos*: hi enim postulant majorem plenitudinem voluntarii, cum a benigna tantum voluntate procedant, neque bonum commune obstat quominus facilius rescindantur. Attendum tamen ad dispositionem contrahentis: nam saepe is qui ab aliqua donatione abstineret, si sciret causam propter quam confert non subsistere, non intendit ut donatio semel facta irrita fiat, si causa non subsistat. Sic interdum aliquis pauperi eleemosynam facit quia sobrium et pium esse opinatur, nec tamen propterea vult hanc donationem esse irritam si ebriosus vel impius sit. (Ball. P. n. 85)

**590. IV.** Quando *dolus*, adhibitus ab una parte, causa fuit ob quam contractus initus sit, is probabilius servandus est a deceptore, si deceptus velit, nullam autem obligationem decepto imponit. Ratio est, quia deceptor consensum dedit ejus efficacie, si altera pars voluerit, nihil obstat; decepto autem nequit oriri obligatio ex injuria quae ipso per

fraudem illata est. (Ball. P. n. 88 seqq.) Sic etiam in C. C. (a. 1116) edicitur dolum reddere contractum rescindibilem, sed tantum in eo casu quo artificium ab una parte adhibitum hujusmodi est ut evidenter altera pars, deficiente hoc artificio, non contraxisset.

Hinc sequitur teneri eam partem quae dolum adhibuit, ut alteri offerat contractus rescissionem, quotiens id fieri potest sine damno suo multo majore, puta cum notabili infamia sua. (n. 557) Haec obligatio gravis erit si nascitur e contractu qui grave damnum alteri parti affert, levis, si leve aut nullum damnum e contractu oriatur est eidem parti. (Marres, l. 3. n. 71) Quandoque tamen contractus per dolum initus, esset omnino nullus, vid. si altera pars inducta esset in errorem substantialem aut versantem circa qualitatem cui formaliter vel virtualiter consenserunt suum alligasset.

**V.** Dolus non reddit contractum rescindibilem, quando adhibitus fuit a tertio quodam, etiamsi constaret contractum, remoto dolo, non fuisse initum; nec quando adhibitus fuit ab altera parte, sed causam contractui non dedit. Ita et C. C. (a. cit.) Semper tamen, in foro conscientiae, manet obligatio reparandi damnum quod per dolum alteri parti forte illatum sit.

Ad primum notat Ball. P. (n. 98): "Quando nulla intercedit inaequitas, etsi dolus causam dederit contractui, et deceptus possit rescindere contractum, tamen, si res adhuc integra non sit, regulariter non consurgit obligatio aliquid restituendi sub letali culpa." Exemplum affert illius qui mentiretur vinum esse plurimum annorum aut specialis loci, et hoc dolo ad illud emendum induceret aliquem qui secus illud vel omnino non emisset vel non emisset tali pretio. Is leviter peccaret si vinum revera haberet valorem solutum vel paulo minorem; graviter, si excessus justi pretii per se ad grave furtum pertingeret, neque contractus re adhuc integra, rescinderetur, vel, re consumpta, excessus restitueretur.

### § 3. DE CONSENSU PER METUM VITIATO.

**591. I.** Metus semper reddit contractum nullum, quando ita perturbat contrahentem ut actum perfecte humanum elicere non potuerit. (n. 586)

**II.** Quando contrahens ex metu manet sui compos, contractus semper valet si metus ille oritur e causa intrinseca vel necessaria, vel etiam e causa libera juste illum incutiente. Nulla enim ratio invaliditatis assignari

potest, cum nulla inferatur injuria, neque desit consensus voluntarius; siquidem libere eligitur contractus tamquam medium aptum ad malum quod timetur evadendum. Exemplum habes in eo qui, metu morbi contagiosi regionem quamdam deserere cupiens, contractum cum duce navis init, vel qui, alium calumniatus, spondet se pecuniae summam illi daturum esse ne ad tribunalia trahatur.

**III.** Si metus relative gravis (n. 28) ab altera parte per se vel per alium invenitur ad assensum extorquendum, contractus probabilis, spectato tantum jure naturali, est validus, sed rescindibilis ad nutum illius qui metum passus est. Ita Lugo (disp. 22. n. 115) et S. Alph. (l. 4. n. 716) cum communi sententia. Attamen plures AA. contractus gratuitos quidam, ut Molina (t. 2. disp. 326) et Ball. P. (n. 100 seqq.), tum gratuitos, tum onerosos, prorsus nullos esse opinantur.

Ratio communis sententiae est: non deesse voluntarium consensum eo quod misceatur cum aliquo involuntario. (n. 29) Secus enim nec valere dicendus esset contractus qui e metu naturali vel juste incusso ortum habuisset: nam plerumque cum eadem repugnantia initur. Attamen metum incutiens, cum injuriam reparare debeat, nequit velle ut metum passus contractum invitus implet: is ergo rescindibilis est ad nutum metum passi, etiam ante judicis sententiam. Hinc sequitur eum qui metum intulit obligari ad exsequendum contractum si alter velit. Nihilominus, propter probabilitatem sententiae quae contractus etiam onerosos in hoc casu nullos esse propugnat, ad id obligandus non videtur, modo aliter damnum plene reparet.

In Jure nostro, contractus e metu relative gravi initi sunt validi, sed rescindibiles. (C. C. aa. 1112, 1113, 1117) Jure autem Canonico, plures contractus e metu initi, speciatim matrimonium et professio religiosa, sunt invalidi: de quibus suo loco dicetur.

**592. IV.** *Metus relative levis* probabilis contractum facit rescindibilem ad nutum illius qui metum passus est, si constituit unicum motivum consensus dati vel motivum quod cum aliis quidem concurrat, sed solum, etiam sublati ceteris, ad consensum determinasset, vel etiam si, metu cessante, consensus propter cetera motiva datus non fuisset. Ratio potissima est, quod qui metu levi, ex. gr. secreti manifestandi, reapse alterum inducit ad contrahendum, injustitia formalis et efficaci influit in totum damnum e contractu oriundum: quare obligatur ad alterum in pristinum statum reponendum. Verum nequirit contractus rescindi a metum passo, si, ablatis ceteris motivis, consensus non daretur propter metum, et, ablato metu, adhuc propter cetera motiva daretur: quo casu tamen reparandum est damnum forte illatum, pro qua-

titate influxus quem metus in consensum habuit. Ita Lugo (disp. 22. n. 135 seqq.), Ball. P. (n. 107 seqq.), etc. contra S. Alph. (n. 718) et alios, qui opinantur hujusmodi contractus probabilius universim valere.

Hinc saepe rescindibilis est contractus initus propter importunas preces : quippe quae non raro levis mali metum injiciunt. (Ball. P. n. 112)

**V.** Si metus incutitur quidem ad extorquendum assensum, sed *a tertio quodam*, nullatenus conivente altera parte, contractus est validus, jure tamen civili rescindibilis. (C. C. a. 1111) Ideo metum passus hanc nullitatem petere poterit ; interim altera pars, cum sit injuriae expers, contractum tamquam validum urgere potest. (Ball. P. n. 114)

**VI.** Si metus *ad alium finem incutitur*, contractus, qui ad hoc malum vitandum initur, per se validus est, quando initur cum eo qui hujus injuriae nullatenus est particeps, ex. gr. si promittas mercedem viro ut te a latronibus insidiantibus tueatur : is enim metum tollit, nedum inferat ; quando autem initur cum eo ipso qui hunc metum incutit, rescindibilis est ad nutum metum passi ; ex. gr. si sponte promittas pecuniam inimicio ut a vita tua aggredienda desistat : nam injuriam inferens tenetur ad reparandum omne damnum inde exortum.

## CAPUT V.

### DE OBLIGATIONE E CONTRACTU ORTA.

#### § 1. DE OBLIGATIONE SUBSTANTIALI.

**593.** Sufficit hic quaedam generalia principia praestituere. Multas particulares determinationes de execuzione contractum effert C. C. (aa. 1136-1167) quae confessario minus scitu necessariae sunt vel e principiis hic positis satis intelleguntur.

**I.** Obligatio contractus imprimis determinatur ex ipsius tenore : id enim de quo expresse conventum est, legis instar habendum est (a. 1134), etiamsi forte legis vel consuetudinis determinationibus contrarium sit. Cfr. n. 578.

**II.** Contractus bona fide sunt exsequendi (a. 1134), ideoque obligant non tantum ad ea quae explicite enuntiant, sed ad omnia consequentia quae, juxta aequitatem, consuetudinem vel legem, ex hujusmodi obligatione oriuntur. (a. 1135)

Hinc patet injustum esse qui debiti solutionem differt ultra terminum quo communiter hujusmodi debita a probis debitoribus solvuntur, nisi creditor omnino libere in majorem dilationem consentiat : nam, ubi nullus terminus expresso a vendente, locante, etc. statutus est, implicite obligat se emens, conducens etc. ad solvendum tempore quo solutio fieri solet, ex. gr. infra annum. Neque excusat amplior dilatio eo quod creditor non petat, nisi hic omnino sponte ita dispositus sit ut solutionem recipere velit tantum quando eam petiturus est : nam multi mercatores a petenda solutione abstinent, metuentes ne clientem a se removant, ac proinde hujusmodi tacitus consensus nullus est. (n. 499) Manifestum est dilationem illam injustam tanto magis peccaminosam fore quanto major est necessitas in qua versatur creditor. Hinc facile peccatum grave, saltem contra caritatem, admittunt qui procrastinant solvere salarium eorum qui ex eo singulis hebdomadis mensibus accepto aluntur, vel merces emptas a mercatoribus qui pecunia solvenda indigent ad se alendos vel negotiationem prosequandam.

**III.** Regulariter obligationes contractus solos contrahentes afficiunt. (a. 1119 seqq.) Attamen obligationes contractuum ad heredes, creditores aliosve qui contrahentibus succedunt, transmittuntur, nisi contrarium expresse inter eos convenerit vel e natura contractus sequatur, ut contingit, ex. gr. in contractu locationis operarum. (aa. 1122, 1795)

**IV.** Contractus qui lege civili *nulli*, i. e. rescindibiles declarantur, unam partem obligant donec altera pars, in cuius favorem rescissio lege concessa est, eam postulet. Cfr. n. 580 seqq. Haec autem pars rescissionem petere potest, nisi ei libere et valide renuntiaverit : quod facere potest quando concessio facta est tantum in privatum ejus favorem, non autem quando facta est e motivo boni communis. Sic nulla foret renuntiatio juris ad rescindendum contractum facta a minore quem ad eam induceret pars quacum contraxisset : nam contra bonum commune foret quod homines perversi hoc facile medium haberent quo imprudentes adulescentes a beneficio restitutionis excluderent. Cfr. Lehmk. I. n. 1070.

**594.** Non leviter inter AA. controvertitur utrum contractus qui legibus civilibus declarantur nulli, quando certis formalitatibus carent, jam ante judicis sententiam sint, etiam in foro conscientiae, invalidi autem rescindibiles. Qua de re cfr. Ball. P. (nn. 24-44); Marres (l. 3.